

FERIA III POST DOMINICAM TERTIAM.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum
(Matth. 18, 15).

Tanto Deus peccatum odio prosequitur, ut adversus illud nil non moliat, omniaque ad ejus destructionem suscipiat. Nonne Verbum æternum a cœlo in terram descendit, humanam naturam assumpsit, cum hominibus diu conversatus est, dira passus et mortuus est, ut destrueret opera diaboli et peccato mortem inferret? nonne Apostolos suos in omnes terræ partes misit, ut peccato bellum indicerent, illudque undequaque debellarent? Nonne innumeros in toto orbe ecclesiastico concionatores et confessarios esse voluit, qui concionibus, monitis salutaribus, sanctis exhortationibus, increpationibus multis, et omnibus modis possibilibus peccata ex hominum cordibus ejicerent et fugarent. Si supremus quidam monarca tanto in aliquem odio esset accensus, ut omnes sibi subjectos adversus illum armarêt, eum haud dubie omnium inimicorum ejus maximum quisque censeret. Quantum ergo est Dei odium adversus peccatum? Nonne credendum, quod hic sit infensissimus ejus hostis, cum illi bellum denuntiet, omnesque homines ad ejus ruinam et totalem destructionem assumat? Peccatum quidem maxime odit Deus, tantumque ejus in illud est odium, ut non solum velit, quod illud in semetipso quisque per pœnitentiam destruat, verum et quod in aliis per fraternam correptionem illud destrui quisque conetur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe illum*. Peccatum ut infensissimum Dei hostem aspiciamus, illi bellum indicamus, in nobismetipsis per pœnitentiam illud deleamus: sed et illud e proximi corde per fraternam correptionem ejiciamus, et procul pellamus. De hac correptione hodiernus erit sermo. *Ave*.

Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione peccatorum, ex charitate fraterna procedens. Vel est admonitio, qua quis proximum conatur revocare a peccato: fratris enim nomine qui corripitur debet, intelligitur proximus seu omnis homo, sive æqualis, sive minor, sive major ille sit, qui correptione opus habet, cum omnes homines fratres sunt, ex uno patre Deo creati, ex uno patre Adamo geniti, atque ex uno patre Christo regenerati et redempti. Certum est autem fraternam hanc correptionem præceptam esse, tum jure naturali, quo membra unius corporis se mutuo juvare tenentur; tum jure divino positivo, quod his verbis nobis enuntiat: *si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum*. Cum ergo certum extet præceptum de correptione fraterna, tria de ea mihi occurrunt examinanda; 1. a quo facienda sit: 2. quando; 3. quomodo facienda.

I PARS.

A quo facienda est fraterna correptio.

Falluntur et graviter errant, qui de aliorum salute sibi nullo modo curandum arbitrantur. Hi dicere solent; quisque suo non alterius bono invigilare tenetur, de sua quisque non de alterius anima rationem est redditurus, non aliorum curam, sed suam cuique Deus demandavit. Hi loquuntur sicut Cain, dicentes, quod alios homines Deus illis custodiendos non tradiderit. *Nunquid custos fratris mei sum* (Gen. 4)? Hi similes etiam Pharisæis ad quos cum venisset Judas, pœnitentia ductus, quod Christum vendidisset, de illius salute nullo modo fuere solliciti, dicentes ei: *Quid ad nos? tu videris* (Matth. 27). Qua vero ratione audent hujusmodi homines asserere nullam ipsis de proximi salute curam incumbere? Nonne Deus *mandavit unicuique de proximo suo?* (Eccl. 7). Nonne præceptum de dilectione proximi dedit? quomodo autem diligitur proximus, si nulla de ejus salute cura habeatur? certe proximum non

diligit qui de ejus salute nihil curat: ideo cum omnes homines proximum diligere teneantur; omnes etiam pro posse suo modo aliorum salutem curare tenentur non solum orando pro eis, verum et eos prudenter corripiendo, cum corripiendi necessitas instat, utilitas suadet. Non enim existimandum præceptum de correctione fraterna ad solos superiores respectu inferiorum spectare; eo siquidem ligantur omnes penitus homines, *tum* lege nature, *tum* lege divina. Lex nature jubet, ut omni homini necessitatem corporalem patienti, quantum fas est, subveniamus. Sicut enim unius corporis membra sibi mutuo subveniunt, ita et omnes homines ac præcipue Christiani, qui unum corpus mysticum constituunt, sibi invicem subvenire tenentur in necessitatibus corporalibus, et a fortiori in spiritualibus. Si enim proximo subveniendum cum corporali, quanto magis cum spirituali infirmitate laborat? propterea omni homini infirmo et peccatori consilium et auxilium ferre oportet ac solerter providendum, ut a peccato resurgat, quod quidem fraterna admonitio ac correctio præstat. Ad idem charitatis officium nos impellit et adstringit lex divina positiva, qua manifeste, ac cunctis fidelibus præcipitur: *si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*. Quod præceptum non dedit Christus prælatis, principibus, iudicibus et patribus familias tantum respectu illorum, qui eis subsunt; generatim mandavit, voluitque, ut quisque proximum peccantem in viam salutis corripiendo reducat. Quod ut non sine gravi auctoritate dictum credatur, audiamus summum pontificem Innocentium tertium, præfata Christi verba explanantem; *fratrem, inquit, in te peccantem, occulte corrigere quisque tenetur juxta legem evangelicam*. Audiamus et alium summum pontificem, Anacletum scilicet, dicentem: *tam sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam curam habere debent de iis, qui pereunt: quatenus eorum redargutione corrigantur*. Apostolos misit Christus, ut evangelium suum omnibus hominibus prædicarent, eosque ad illud prædicandum adstrinxit sub lethali peccati et damnationis æternæ pœna; et ideo D. Paulus se æterna maledictione dignum censebat, si

Legi prædicandi evangelium non obtemperaret, *væ mihi si non evangelizavero*. Sicut autem Christus apostolos misit, ut omnibus gentibus suum evangelium annuntiarent, ita et omnes homines misit, ut peccantes corripiant, et correptione sua homines peccatores ad meliorem vitæ frugem adducere conentur. Sicut apostolis Christus dixit: *euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creature*: ita et cuivis homini dixit: *si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*. Sicut apostolos misit, ut omnes homines ad viam salutis reducerent per prædicationem evangelii, ita et quemlibet hominem mittit, ut alios ad viam salutis reduceret conetur per fratram correctionem. Sicut tandem apostoli evangelium prædicare ex præcepto tenebantur, ita et quilibet ad correptionem faciendam ex præcepto obligatur: *vade, et corripe eum*. Licet autem omnes homines ad correptionem faciendam ex hoc præcepto non teneantur; ad eam tamen faciendam omnes moveri debent: 1. Christi exemplo, 2. Charitatis præcepto, 3. Gloria Dei.

1. Christus, qui omnium virtutum exemplar extitit, præclara nobis correctionis fraternæ exempla præbuit; *tum*, cum pluries superbos, et hypocritas Phariseos corripuit: *tum* cum iniquos mercatores e templo ejecit: *tum* cum ipsos apostolos de primatu disputantes in spiritu lenitatis monuit. Verum et tota Christi vita fraternæ correctionis exemplum fuisse videtur: nec enim ob alium finem incarnatus est quam ut corruptissimum mundum corripere; nil aliud suo adventu intendit, quam vitiosissimi mundi hujus correptionem: ad hunc scopum directa fuere ejus prædicationes et miracula, præcepta et consilia, verba et exempla; venit ut homines corripere, et salubri correptione a peccatis mundaret; *ille apparuit, ut peccata nostra tolleret* (1. Joan. 3, 5). Itaque cum Christus in hunc mundum venerit, ut salvum faceret quod perierat, et ut homines ab iniquitatibus suis purgarentur, et corripere, ejus exemplo ad correptionem fratribus peccantibus faciendam omnes excitari debent; ad quam ulterius nos adstringit *charitatis præceptum*.

2. Præcepto divino proximum diligere quisque tenetur: *diliges*

proximum tuum sicut teipsum. Quomodo autem proximum diligit qui ei non præsto est in necessitatibus? Quomodo proximum veraciter diligit qui ei in salutis spiritualis negotio ac discrimine auxiliaries manus non præbet? quæ est illa proximi dilectio, quæ eum in peccato jacentem sublevare non satagit? certe proximum charitate christiana prosequi haud est reputandas, qui eum peccantem et peccatis adhaerentem ex negligentia, complacentia, vel falsa amicitia monere et corripere renuit. Si enim ex charitatis præcepto quisque proximo in necessitatibus corporalibus subvenire tenetur, quanto magis in spiritualibus? si quisque proximo gravem inopiam patienti, diro carceri mancipato, vel horrendo præcipitio exposito ex præcepto charitatis opem ferre debet, quanto magis peccatori demonis servo, per peccatum mortuo, et formidando inferni præcipitio exposito subvenire tenetur, saltem per fraternam monitionem et correptionem? ad hoc sane quemque inducere debet præceptum de charitate proximi. Unde qui eum non corripit, contra charitatis præceptum peccat, et spiritualem mortem incurrit: *quod si emendare negligis, cum videas emendandum, adversus charitatem facis. Et tamen ut recte ait Joannes: qui non diligit, manet in morte* (Aug. de orig. anim. l. 2, c. 3). Ad corripiendum ergo proximum adduci debes charitatis præcepto ac etiam gloria Dei.

3. Nil tam gloriæ Dei oppositum, quam peccatum. Cæli, terra, et omnes creaturæ Deum glorificant, ejusque gloriam proclamant: *Cæli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18). Ipsi dæmones suis vociferationibus, imo et serpentes ac dracones suis sibilationibus dant gloriam Deo: *laudate eum dracones, et omnes abyssi.* Omnes denique creaturas ad Deum laudandum invitat propheta; eum quilibet suo modo laudat: solum autem peccatum ad Deum laudandum non invitatur, quia Dei gloriæ totaliter adversatur. Ut enim ait S. Ambrosius, peccatum est *nihilum rebelle et armatum contra Deum.* Et ut ait D. Bernardus, peccator vellet Deum destruere si posset, quia vellet Deum esse ignarum, injustum aut impotentem: *vellet autem Deum talem esse, est velle Deum non esse: vellet peccator Deum non esse, aut nolle, aut non posse crimina*

vindicare. Velle Deum, aut inscientem, aut injustum, aut impotentem esse, est velle Deum non esse. Quare cum peccatum directe Dei gloriæ adversetur, quisque in peccatores insurgere debet, eosque in spiritu lenitatis et charitatis corripere, cum per peccata sua injuriam Deo irrogant. Insurgere quisque debet in terrena: cujusque majestatis reos: *in reos majestatis omnis homo miles* (Tertul. Apol. 2): quanto magis in peccatores, divina majestatis reos? adversus illos quidem quisque armari, et insurgere debet, non ut illos interficiat, verum ut eos per salutarem correptionem a peccatis revocet, et ad Deum laudandum inducat. Peccantes ergo fratres corripite, ut Christum imitmini, ut legi obtemperetis, ut Deum glorificemini.

His motivis concitatus D. Petrus, Ananiam et Saphiram durissime increpavit, eo quod fraudaverint de prætio agri quem vendiderant: increpavit et Simonem magum, pecuniam pro dono Dei offerentem. His motivis succensus sanctus Stephanus generose arguit Judæos, eo quod Spiritui sancto resisterent. His motivis accensus D. Paulus, *nunc* corripuit Elimam magum, eo quod niteretur avertere proconsulem a fide: *nunc* Galatas, eo quod post acceptam veritatem Evangelii, ad circumcisionem et observantias legales reverti vellet: *nunc* Corinthios, eo quod in iis dividi videretur Christus, dicente uno, *ego sum Pauli*; dicente alio, *ego sum Apollo*; et alio, *ego sum Cephæ.* Eodem sane zelo concitari debent omnes fideles, quia nullus est, qui fratrem suum peccantem corripere non teneatur; nullus est, ad quem non dirigantur hæc Christi Salvatoris verba; *si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum: fraternam ergo correptionem facere tenentur omnes. Quo autem tempore facienda sit, jam docebitur.*

II PARS.

Quomodo facienda est fraterna correptio.

Cum præceptum de correptione fraterna sit affirmativum, non obligat semper et pro semper; non enim ad correptionem

quolibet momento faciendam quisque tenetur; sed certo solum tempore, et in aliquibus casibus. Quando autem ex præcepto facienda, vel non facienda sit, varie ab authoribus explicatur. Cum Divo Bernardino dicunt multi, quod ut quis ex præcepto ad alium corripiendum adstringatur, requiritur, ut culpa illius sit mortalis, quia correptio fit ad lucrandum fratrem amissum per peccatum, ut patet ex his Christi Salvatoris verbis: *Si autem te audierit, lucratus es fratrem tuum*; non autem amittitur anima fratris, nisi per mortalem culpam. Quapropter licet venialiter peccantes corrumpere aliquando sub mortali teneantur superiores; non tamen alii, qui tunc solum sub mortali tenentur peccantes corrumpere, cum peccata illorum sunt mortalia. Imo, inquit D. Bernardinus, ut ad illos de mortali-bus corripiendos quis teneatur, debet esse saltem moraliter certus, quod mortalia perpetraverint; non enim tenetur quis ad corripiendum alium de peccato, de quo sibi certo non constat, quod illud commiserit. Non etiam tenetur quis ad alium corripiendum de peccato, a quo se emendavit; correptio enim ordinatur ad emendationem, et cum quis a peccato, in quod inciderat, se emendavit, nulla superest ad eum corripiendum obligatio.

Ut clarius expendat D. Bernardinus, quando quis ad alios corripiendos teneatur, vel non teneatur, dicit; quod licet quis certo sciat alium graviter peccasse, et gravi cuidam peccato inquinari, non tamen ad eum corripiendum ex præcepto tenetur, cum peccatum illius ab aliis scitur, qui aptiores sunt ad illum corripiendum; si enim, inquit, ipsum peccantem videant alii æque boni sicut tu, vel forte meliores, et illi forte magis familiares, aut prelati suus, probabiliter supponere potes, quod aliquis istorum, in quibus est debitum et aptitudo corrigendi illum, corripiet eum. Addit tandem sanctus idem quod non teneatur quis ad corripiendum peccatorem, cum non est spes verisimilis, et probabilis de futura ejus emendatione, quia cum correptio instituta sit propter emendationem fratris, patet quod fieri non debeat, cum nulla est emendationis spes. Quæ jam ex S. Bernardino attulimus, imo

et alia multa congerunt varii auctores, ut explicant, quando sit vel non sit facienda fraterna correptio. Hac autem regula totam hanc materiam elucidat doctor Seraphicus, dicens quod correptio proximi sit omnibus in præcepto, non tamen semper, *sed cum scitur vel creditur, quod correptio peccatum impedit, quod alias fieret*. Et ideo cum certo scis aliquem in grave peccatum lapsum, si prævideas te correptione tua impediturum, ne hic in idem vel gravius peccatum relabatur, tunc ad illum corripiendum teneris; si autem prævideas, te nil tua correptione profuturum, neque fore ut peccantem a relapsu arceas, sive ad meliorum frugem adducas, tunc tibi a correptione abstinendum, atque ab hac obligatione solveris. Eandem regulam sub aliis verbis tradit doctor Angelicus, dicens, quod *fraterna correptio tunc est in præcepto, quando evidens est ejus ex correptione fructus*. Cum enim correptio fraterna ad fratris emendationem ordinetur, non semper cadit sub præcepto, nec semper facienda est; tunc solum præcipitur cum necessaria est ad finem præcepti obtinendum: quare cum prævides correptionem tuam delinquenti necessariam, vel profuturam, eum corrumpere teneris: cum autem judicās correptionem delinquenti non profuturam, aut plus mali quam boni allaturam, ad eum corripiendum non teneris: imo tunc laudabilius est a correptione abstinere, quam fratrem peccantem corrumpere. Quod ut clarius pateat, advertendum cum D. Thoma, duplicem esse correptionem. *Prima* est actus justitiæ, qua intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per emendationem fratris, sed etiam interdum per punitionem ejus; qua fit, ut alii a peccato timentes desistant. Talis correptio pertinet ad solos prelatos, qui æque tenentur admonere, et corrumpere puniendo. *Ista* autem correptio non est omittenda licet prævideatur, delinquentem nullum ex ea fructum elicitorum, eo quod non ordinetur primario ad emendationem delinquentis, imo vero ad bonum commune. *Secunda* est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem. Et ista est proprie correptio, quam fraternam dicimus; quæ cum

ordinetur tantum ad emendationem delinquentis, tunc solum ex præcepto adhibenda est, cum prævidetur, finem hujus præcepti, seu fratris emendationem ex ea secuturam. Cum ergo prævidet quis ex tali correptione, delinquentem nullum fructum percepturum, vel ad pejora lapsurum, ab ea abstinere debet, quia ea quæ data sunt ad aliquem finem, debent regulari secundum quod exigit ratio hujus finis. Et ideo semper attendendum, quid hoc præcepto intendat Deus; semper perpendendum, quis sit finis a Deo intentus, cum præceptum de correptione fraterna dedit. Nec adhibenda est correptio, cum talis finis obtineri non potest; seu cum prævidetur delinquentem ex correptione non meliorem, sed pejorem evasurum. Hæc doctrina sumitur ex D. Augustino dicente; *Si scirem, quod non tibi prodessem, non te admonerem, neque turbarem*. Sumitur etiam ex Sacra Scriptura, quæ derisores, qui ex correptione fructum non sunt percepturi, corripere vetat: sapientes vero, qui ex ea fructum sunt elicaturi, corripere præcipit: *Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te* (Prov. 9, 8). Corripe ergo fratrem alicui peccato addictum, cum existimas illum correptione tua meliorem evasurum, non autem cum ad pejora declinatorum prævides. Tunc enim est omittenda correptio, et laudabilis est illius ommissio: *correptio fraterna ubi probabiliter æstimatur, quod peccator, admonitione contempta, in pejora sit lapsurus, laudabiliter omittitur* (D. Tho. 2, q. 33 a. 2). Fatentur omnes, fraternam correptionem magna cum prudentia esse faciendam. Hæc autem prudentia in hoc constitit: 1. quod quis non corripit alium, cum certo non sibi constat eum peccasse: imprudens enim est qui proximum corripit de peccato, quod forte nunquam perpetravit: 2. in hoc, quod quis proximum non corripit de peccato, cum probabile est, eum jam esse emendatum, vel non relapsurum, quia correptio fraterna datur solum in ordine ad emendationem, et ideo frustra corripetur qui jam emendatus est: 3. in hoc, quod quis alium non corripit, cum eum ab alio magis idoneo corripiendum sperat: frustranea enim esset talis correptio, si ab alio efficacius et utilius

fieret; præcepta autem Dei non dantur ad inutilia et frustranea. Verum prudentia corripientis in hoc potissimum consistit, quod tunc corripiat, cum correptionem suam profuturam videt, non autem cum nulla est spes fructus; desperato enim fine, frustra adhibentur media ad finem: et ille maxime imprudens est, qui sciens se non obtenturum delinquentis emendationem, quæ est finis correptionis fraternæ, assumit tamen media ad hunc finem, et corripit eum, quem correptione non meliorem, sed forte pejorem evasurum merito suspicatur. Videte, quomodo se habuerit Nathan, cum Davidem corripuit: sciebat Nathan, eum graviter peccasse; non tamen mox ut ad eum ingressus est, perpetrata crimina illi objecit, non statim illi dixit: tu flagitiosus es, tu profanus es, tu adulter, et homicida es; non protinus illi dixit, eum pessime fecisse: quia prævidebat, quod si subito illum corripere, forte ad iracundiam et ad pejora declinaret. Paulisper expectavit; assumpta similitudine congrua illaqueavit eum verbis oris sui; sub fictæ narrationis involuero cor ejus ad recipiendam correptionem disposuit; eumque judicavit eum benigne accepturum correptionem et fructum ex ea percepturum, tunc eum corripuit: et David peccatum suum confessus est, ac ad Deum totaliter est conversus. Sic similiter fratrem peccantem corripit; tunc eum corripit, quando animadvertis eum ex tua correptione fructum percepturum. Ecce quando facienda sit fraterna correptio: videamus nunc quomodo sit facienda.

III PARS.

Quomodo facienda sit fraterna correptio.

Cum fraternæ correptionis finis sit hominis delinquentis emendatio, facienda est correptio iis modis, qui ad hunc finem perducere valeant. Aptiores autem modi ad hunc finem obtinendum sunt, quod correptio fiat *in spiritu charitatis, in spiritu lenitatis, et in spiritu Christi*.

1. Debet fieri correptio fraterna *in spiritu charitatis*; ut

scilicet fratrem tuum a via perditionis avertas, ut eum a damnationis periculo eripias, ut illum ad recte vivendum inducas: *debemus corrumpere non nocendi aviditate, sed studio corrigendi* (S. Aug. ser. 16, de *ver. Dom.*). Cum peccavit frater, ad eum quisque ire tenetur non in spiritu iræ et vindictæ, non in spiritu odii et invidiæ, sed in spiritu charitatis et amoris, ut scilicet eum corripiat, et emendet, *si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*. Ad eum quisque ire debet, inquit S. Bernardinus, in spiritu charitatis instar boni pastoris, qui vadit querere perditam ovem, ut eam ad Christi ovile reducat; vel instar medici spiritualis, qui infirmum peccatorem sanare satagit; vel etiam instar Patris, qui filium arguit et corripit ex affectu amoris, ut scilicet eum ad meliorem vitæ frugem adducat. Attendite, quomodo Corinthios corripuerit D. Paulus. Anne in spiritu vanitatis et superbiæ, ut iis se meliorem esse manifestaret? Anne in spiritu iræ et furoris, ut illos exasperaret? anne in spiritu vindictæ, ut illos confunderet? nequaquam; sed in spiritu charitatis, ut illos paterno affectu moneret, et ad perfectionis studium accenderet: *non ut confundam vos hæc scribo, inquit, sed ut filios meos charissimos moneo*. Eodem spiritu fratres delinquentes corripite: nec unquam correptionis fraternæ negotium suscipiatis, quin prius facto diligenti conscientiæ vestræ examine, certi sitis, quod in spiritu dilectionis et charitatis tali negotio vacetis: *nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere* (D. Aug. in c. 1 epist. ad Gal.). Corripite ergo in spiritu charitatis ac etiam in spiritu lenitatis.

2. *Fratres, inquit D. Paulus, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Non in spiritu asperitatis et indignationis, sed in spiritu lenitatis et mansuetudinis: ita ut verba et gestus vestri internam quandam lenitatem et suavitatem spirent, qua, qui corripitur, ad benigne recipiendam

correptionem inducatur. Vult D. Augustinus, quod antequam aliquis peccantem corripiat, serio suam scrutetur conscientiam, ut visa sua fragilitate ad correptionem in spiritu lenitatis et misericordiæ faciendam alliciat; cum aliquem reprehendere, vel objurgare necessitas nos coegerit, cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quod aliquando habuimus: si nunquam habuimus, cogitemus et nos homines esse et habere potuisse; si vero habuimus, et amplius non habemus, tangat memoriam communis fragilitatis, ut illam repressionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat. Hæc sane lenitas et misericordia semper præcedere debet: et licet aliquando superiores, qui subditos corripunt, severitate uti cogantur, ut eorum proterviam vincant, *miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum* (D. Greg. Mor. 20, 8). Sicut enim in arca testamenti erant simul virga et manna, ita et in correptione, cum adhibetur virga justitiæ et severitatis, adhiberi etiam debet manna dulcedinis et lenitatis: *Si erit virga discretionis, sit etiam manna dulcedinis*. Hæc lenitas et mansuetudo in alienis vitiis corripiendis ita necessaria est, ut licet hominem gravissimis quibusque criminibus obnoxium, imo et jam ad inferni supplicia damnatum corripere vellemus, hoc faciendum esset in spiritu lenitatis. Quod patet ipsius Dei exemplo, qui divitem avarum inferni supplicii jam adjudicatum, tanta cum lenitate reprehendit, ut illum filium vocet, dicens: *fili recordeare, quia recepisti bona in vita tua* (Luc. 16). Non vocat eum avarum, superbum, immisericordem, et in pauperes crudelem: non ei dixit; inhumane, crudelis, sceleratissime: sed, *fili*. O magnam Dei in divitem epulonem clementiam! o mirabilem ejus in corripiendo hoc damnato lenitatem! *o singularis bonitas! adhuc filium vocat quem videt inferni penarum sobolem, et extremum mancipium gehennæ* (Chrisol. ho. 2 de Lazaro). Divino hoc exemplo discite mansuetudinem; discite correptionem faciendam in spiritu lenitatis. Non quidem laudandi peccatores, non iis adulandum; non dissimulanda, vel pallianda eorum crimina; non iis dicendum, hoc bonum esse, quod malum est; non excusandi,

cum inexcusabiles sunt, sed corripiendi in spiritu charitatis et lenitatis, *ac etiam in spiritu Christi, seu modo quo Christus correptionem faciendam esse docuit.*

3. Christus, qui dedit correptionis præceptum, dedit et correptionis modum. Si in te, inquit, peccaverit frater tuus, vade, et corripe eum *inter te et ipsum solum.* Et hic est modus rectissimus corrigendi fratrem: ipsa enim charitas postulat, ut secreto corrigantur peccata, quæ clam perpetrantur, et quæ pluribus non sunt nota: charitas vult, ut per secretam correptionem famæ proximi consulatur, quantum salvo bono communi et animæ proximi fieri potest: *ipsa charitas postulat, ut secreto corrigantur, quæ peccantur secretius: nam si solus nosti, et vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor* (S. Aug. ho. 17 in c. 18 Matt.). Si autem correptus secretam monitionem respuat, nec ex ea melior fiat, jubet Christus, ut corripiatur coram uno, vel duobus testibus: *si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos.* Hoc autem ita fieri vult Salvator, inquit Chrysostomus, ut qui coram uno non erubuit, erubescat coram pluribus, utque plures testes eum de peccato facilius convincant, et eum efficacius ad emendationem alliciant. Quod si correptus eos non audierit, tertium gradum in ordine correptionis servandum præscribit Christus: nempe quod qui monitorem, nec testes audire vult, deferatur ad Ecclesiam: *Quod si non audierit, eos dic Ecclesie.* Præcipit autem Christus quod tunc dicatur Ecclesie, id est prælato, seu pastori et superiori ejus; ut ille tamquam pater spiritualis, æque ac iudex, paterne, et majori autoritate et pondere peccantem corripiens, eum efficacius ad emendationem adducat. Ecce spiritum Christi; ecce ordinem et modum a Christo præscriptum, qui necessario et ex præcepto in correptione fraterna est servandus, ita quod semper delinquens secreto corripiatur antequam adhibeantur testes, et antequam ad superiorem deferatur, exceptis tamen quibusdam casibus. Quorum *primus* est, cum peccatum est publicum; cum enim tunc peccator diffamatus sit, non est consulendum famæ ejus per secretam admonitionem; nec necessa-

rium est, ut secreto moneatur, antequam superiori crimen ejus ignoranti deferatur. *Secundus*, cum peccatum est noxium; quod licet occultum sit, potest tamen multis inferre grave nocumentum, uti hæresis, quæ ut cancer serpit, ideoque statim summa vi per pastorem et superiorem est inhibenda et recidenda: nisi quis sciret, et firmiter æstimaret, quod per secretam admonitionem posset eum, qui in hæresim lapsus est, emendare et malis, quæ ex hæresi occulta vonire possent, occurrere. *Tertius*, si constet monitionem secretam, vel coram testibus non profuturam, nam, ut ait Adrianus: *frustra nitii, et nihil aliud laborando, quam odium querere, extrema demerita est.* Quo rerum statu, prætermissa monitione et vocatione testium, dici debet Ecclesie, et superiori. Ecce modum quo faciendi est fraterna correptio; hunc tenete, hunc servate. Illos et hortor qui corripiuntur, ut benigne, et æquo animo correptionem sibi factam recipiant, et inspiciant corripientem, veluti hominem a Deo missum, cujus monita si contemnant, dirissime punientur: *viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus* (Prov. 29). Non irascitur quis in speculum, a quo ipsi manifestantur maculae vultus sui; verum agnitis his maculis, eas abstergit et lavat: non irascendum in corripientes, qui sunt quasi specula quæ animarum nostrarum maculas nobis manifestant: sed agnitis peccatorum nostrorum maculis, cito abstergendæ sunt, et amandi, colendive ii monitores a quibus nobis illæ patefactæ sunt. Cum D. Augustinus Alipium corripuit, eo quod ludis circensibus frequentius adesset, non in Augustinum, sed in semetipsum exarsit Alipius; et eum a quo correptus est, ardentius amavit: *quod alius accepisset ad succensendum mihi*, inquit Augustinus, *accepit honestus adolescens ad succensendum sibi, et ad me ardentius diligendum* (Conf. 6, 7). Imitamini bene moratum hunc adolescentem: cum quis vos corripit, ne in corripientem irascamini; potius adversum vosmetipsos qui rei estis exardescite, et amate eum, a quo correpti estis; eum ut benefactorem diligite: ejus monitis obtemperate, ac vitam vestram in melius mutare, ut tandem aliquando vitam æternam assequamini. *Amen.*